

*Doc. 3 (Scriptum est eidem
iustitiario [Basilicate] etc. Cum
hominibus Lacuspensilis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 3 (Scriptum est eidem
iustitiario [Basilicate] etc. Cum
hominibus Lacuspensilis...)*

1274-09-28

Scriptum est eidem iustitiario (Basilicate) etc.

Cum hominibus Lacuspensilis veteribus videlicet habitatoribus ipsius loci, qui nunc ibi morantur, et aliis de antiquis similiter incolis ipsius loci, qui a loco ipso recesserunt et ad incolatum eiusdem terre redierint, in collectis et subventionibus generalibus distributione et pretio nove denariorum monete immunitatem, per biennium, videlicet per totum presentem annum tertie indictionis primo venture, de speciali gratia duximus concedendam, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus, eisdem antiquis habitatoribus dicti loci, illis videlicet qui nunc ibi per predicti temporis spatium immunitatem ipsam observes, et per distributionem nove monete ipsarum partium mandes et facias observari. Ita tamen quod si aliquis proprio incolatu dimisso de novo se contulerit, vel contulerint ad habitationem dicti loci, ut solutionem generalium collectarum et subventionum et aliarum exactionum curie nostre effugiant, observari facias, immo in collectis et subventionibus ipsis ac pretio nove monete, secundum facultatem eorum quotiens in partibus iurisdictionis tue generales subventiones et collecte infra predictum terminum per nostram curiam imponentur vel nova moneta distribuitur, ipsos novos habitatores, secundum quod facultates eorum exigerint, communicari facias et conferri, et quidquid et quantum qualibet vice pro qualibet generali subventionem et distributionem nove monete ab eo exegeris vel exigi feceris, magistris rationalibus etc. per litteras tuas studeas intimare ut in quaternis nostre curie redigantur.

Datum Venusii per Magistrum Guillelmum XXVIII septembris III ind. (1274).